

secum illius, quod blandè in auras vocat Chymia, principij habitudo.

Sed & alter hic scrupulus vrgere posset eum, qui simplicium medicamentorum vires acriore iudicio peruestigârit. Quæ enim vulgò sunt cognita, qualitatum legitimarũ proprietate in hoc vel illud humorũ genus naturali instinctu propendent. Rhabarbarum bilem cit, aquam ferofam Colocynthis. At magna diuersitas est metallorum. Indifferenter ea, concussis interaneis, proturbant eluuiem, nec vllò priuatæ inclinationis regimine huc vel illuc pelluntur: adeoq; toti naturæ aduersa, ab reliquorum medicamentorum ordine, agendiq; modo euidenter aberrant. Vnde consequitur, vt qui ea in communitatem medicinalis cõmeatus imprudens admittit, non minùs à medico pharmacopœo diuersus sit iudicandus, quàm illa ipsa sunt, à recepta hætenus pharmacorum conditione aliena. Sed inanem hunc esse diuersitatis metum, cuius dilucebit, qui paulò altiùs modum inueniendorum & constituendorum medicaminum, quem vtriq; & noue & vete-

*An trahant
metalla
proprium
humorem*